# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
# LACTIS METASTASI,

QUAM, FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

Johannis Caroli Friderici Hauff,

ORD. MATH. ET PHYSICORUM PROF. ORD.,

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

CORAM TOTO ACADEMIÆ GANDAVENSIS SENATU,

PRO GRADU DOCTORATÛS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS EMANUEL CLAEYS,

TILETANUS,

Die 28 Julii MDCCCXXVII, horâ Xâ. in Aulâ Academicâ.

GANDAVI, apud MAX. ANT. MAHNE, Bibliopolam.

1827.

Ex præscripto art. 56 legis Acad. opiniones in Dissertationibus propositæ, illarum auctoribus propriæ, et a Facultate nec approbatæ, nec improbatæ, sunt habendæ.



**PATRI OPTIMO**

**MATRIQUE DILECTISSIMÆ**

Specimen hoc inaugurale Filiali
submissione et reverentiâ
offert et dedicat
AUCTOR.

Source féconde et sacrée de la vie, la mère est la créature la plus respectable de la nature, c'est d'elle que découlent les générations sur la terre, c'est Eve ou l'être vivifiant, qui nous réchauffe dans son sein, qui nous allaite de ses mammelles, nous recueille entre ses bras, et protège notre enfance dans le giron de son inépuisable tendresse. Femme! Mère! Honneur de la création! Quels hommages éternels ne vous sont pas dûs dans tout l'univers.

J. J. Virey, *de la femme sous ses rapports physiologique, moral et littéraire, pag.* 4.

# PROLEGOMENON.

*Quandoquidem lex Academica iis, qui lauream doctoralem auspicabuntur, imponat officium dissertationem conscribendi, hunc in finem specimen quoddam erat eligendum, non ut quid novi et insoliti in arte medica collecta, disserere satis duximus de Lactis Metastasi; et, quamvis inter auctores, de illius verá existentiá admodum disputetur, attamen in hác nostrá dissertatione, illam admittere, pro viribus nostris probare conabimur; antequam vero materiam adgrediamur de Metastasi in genere quaedam facere verba nobis non supervacuum videtur.*

## DEFINITIO VOCIS METASTASEOS.

*Vox graeca Metastasis, est composita ex praepositione* μετὰ, *quod* trans, *et verbo* τίθημι, *quod* pono *significat, adeoque vi vocis transpositionem denotat. Si veteres de vocis Metastasis notione consu-*

2

*lamus, facile patet, non omnes eamdem significationem huic voci tradidisse.*

HIPPOCRATES *Metastasim pro morbi solutione sumit* (1).

GALENUS in comment. in aphor. hipp. *illam demum adesse affirmat quando morbi ex una parte in aliam transgrediuntur.*

BOERHAVIUS *appellat Metastasim, quando materies quodam aberrans nunc huc, nunc illuc pellitur, symptomata diversa producit, neque ullum vere signum perfectae criseos praebet.*

*Nos autem per Metastasim intelligimus, « morbi in sede suâ primariâ notabiliter diminuti vel penitus devicti transmutationem ad alterum locum"* (2).

*Quum jam stricto sensu Metastasis dici solent materiae morbidae transpositio, sive acuta sive chronica, usu obtinuit, ut lactis aberrationes generali Metastaseos nomine practicis salutentur.*

*Haec dicta sunto pro generali Metastaseos notione, caeterum speramus fore ut, L. B. deficientem hunc laborem amico oculo aspiciat atque amplificanda et emendanda adaugere velit; hujusce dicti memor* « Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas."

---

(1) Conf. aphor. sect. 5. aphor. 7. epid. Hipp.
(2) Vid. path. gen. clar. prof. J. L. KESTELOOT, pag. 70.



# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

# LACTIS METASTASI.

## *Definitio nec non Divisio.*

Sub nomine Metastaseos Lactis intelligimus, illam puerperarum affectionem, quâ lac, seu lochiorum suppressione, seu irregulari ipsius lactis secretione, ad corporis partes quasdam deponitur: unde a Gallis dicitur: *Dépots laiteux, Lait répandu, Infiltration, Engorgemens, Révolutions et Epanchemens laiteux.*

Ex allatâ nostrâ definitione insignis occurrit differentia, lac enim vel in mammis secretum deferri observatur ex naturali suâ sede, vel a sanguine secerni non potest (1).

Quandoquidem jam statuamus Lactis Metastasis contingere puerperis; tamen non desunt observationes Lactis Metastasium post ablactationem: ita Puzos observavit lac per os fuisse excretum (2).

Ex enarratis omnibus divisio patet nempe in primariam et secundariam.

Primaria mox post partum accidit, frequentissima est et plerumque

---

(1) Vid. clar. Gaub. inst. path. parag. 401-402.

(2) Vid. Puzos, *mémoire sur les dépots lait. pag.* 344.

contingit intra febrim lacteam sive tertium quartumve et decimum quintum post partum diem, gravioribusque stipatur symptomatibus (1).

Secundaria vero longo a partu tempore contingere potest, et sæpe multis septimanis, mensibus, imo nonnumquam fere integro anno post elapsum puerperium, uti varia observata probant (2).

Quum jam ex mammis in sanguinem retropulsum lac, vel per varias vias e corpore effugere moliatur, vel ad partes aliquas deponatur, Metastasis non incongrue videtur posse distingui in excretoriam et depositoriam: ad primam classem pertinent illi casus, in quibus lac per alias corporis vias simul cum naturalibus earum evacuationibus effluit; ad alteram vero, quando in sanguinis massam resorptum et per totum corpus circumvagans lac accumulatur et ad partem aliquam deponitur; illa vero pars erit vel interna vel externa, unde depositoria Metastasis subdividi iterum potest in internam vel externam: de quibus fusius in diagnosi et prognosi agemus. Itaque ad Metastasium causas transire valemus.

## *De Causis.*

In causarum disquisitione, eas imprimis examinabimus, quæ puerperas ad Metastasim Lacteam disponunt, vel eam ipsis inducere possunt, quæque in puerperis evidentius agunt, majori numero occurrunt et in oblactatis simul effectus suos exerunt. Inter prædisponentes causas statim in oculum occurrit summa puerperarum debilitas et irritabilitas: per partum enim mulierum vires maxime consumuntur, ingens præterea sanguinis dispendium patiuntur, tertio quartove die febris accedit, quo

(1) Vid. Bicker, *verhand. van 't zog der vrouwen*, *pag.* 178.
(2) Conf. inter alios Lemoine, *systême nouveau de l'art des accouch.*, par M. Berton, *pag.* 100.

tempore huic morbo suscipiendo admodum expositæ sunt: huc similiter pertinent. Ætas juvenilis, morbi prægressi et imprimis partus difficilis: lactis superabundantiâ mammas post partum turgere novimus, eâ ratione affluxus humorum ad glandulas illas, jam lacte distentas, continue augetur, unde lochia minuuntur, mammæ tunc temporis nundum capaces sunt, ut tantam lactis copiam recipiant, quæ a pusione detrahi valet, quare tunc lac in mammis ipsis secretum coagulatur, vel aliam viam legere, ubi ipsi minor ponitur obex, debet. Porro huc in sensum venit morbosa quæcumque mammarum conditio, quâ insignem in modum lactis secretio potest prohiberi, tum et uteri affectiones quælibet, quibus propter sympathiam, lac a mammis derivatur, earumque functio turbatur; denique non minus disponunt ad Lacteam Metastasim morbi chronici sive acuti quibus puerperæ ante puerperium laborarunt. Hisce enim corpus muliebre exhaustum est: inflammationes, convulsiones, dolores, febrim vehementem merito huc retuleris. Ex hisce jam de causis prædisponentibus breviter expositis, facile est eruere, quare in puerperio Metastases Lacteæ sæpius occurrant quam in ablactatione, quum vero in puerperis debilitas et irritabilitas major sit cæteræque conditiones frequentius quam in ablactatis occurrant.

Causas illas prædisponentes, quæ pathologicis etiam seminia dicuntur per potentias nocentes sive causas excitantes, ut morbus erumpat, in actum ducantur necesse est: illas nunc breviter explorare proximum est.

Inter potentias nocentes imprimis occurrit aër, qui calore vel frigore quam maxime peccare potest: calor debilitatem et irritabilitatem puerperarum magis magisque adauget, humores rarefiunt, dispositio ad putredinem ulterius promovetur, et sic ad morbum nostrum excitare certe conducit. Frigus contra nimium corpus constringit, humorum circulationem minuit, evacuationis retardat supprimit unde lactis Metastases.

Nimius motus puerperarum quam maxime nocere novimus, quum videamus puerperas, primis diebus puerperii vires suas jactantes; unde uteri prolapsus et propter sympathiam Lactis Metastases.

Alimenta quoque et potulenta quantitate et qualitate admodum nocere possunt; si enim quantitas alimentorum, quam ventriculus assumpsit major sit pro ejus viribus digestivis, tunc illâ indigestione debilitas agravatur: tum vero qualitate stimulante nec non acritate potulenta irritabilitas puerperarum quam maxime augetur.

Animi pathemata excitantia et deprimentia, inter excitantia præsertim ira, quæ, musculos, sanguinem et bilem tantummodo exagitat aliaque pessima producit: inter deprimentia vero consideranda venit terror, de quo inquit summus GAUBIUS » systema nerveum vehementissime quassando, spasmos convulsiones cætera inducit, constrictio subito vasculis minoribus, humores versus vasa majora cogit, cor in palpitationem, pulmones in angorem conjicit, pallorem, frigus, congestiones, abortum parit, evacuationes supprimit, subito necat: per terrorem lac prorsus a mammis repercussum, variaque gravissima symptomata" (1).

Pervigilia, quoniam hæc corpus animumque infirmant.

Naturalium evacuationum irregularitas, alvus diu constipata, quod ab ipso graviditatis mechanismo peti debet.

Impedita perspiratio, hæc enim integumenta sicat, rigefacit, vascula obstruit, congestiones parit.

Lochia suppressa, hoc luculentissime patet ex sympathiâ sive consensu inter lochiorum fluxum et lactis secretionem.

Ipsa lactis secretio impedita et neglecta, unde lac in mammis secretum moriatur, stagnationes, obstructiones cæteraque mala provocat, quæ necessario Metastasi Lacteæ ansam dare debet.

---

(1) Conf. inst. path. clar. Gaub., paragrap. 542.

Huic causæ præ cæteris expositæ sunt illæ matres, quæ infantes vel mortuos in lucem ediderunt, vel iis brevi postquam dulces luminis auras salutarunt, per mortem privantur: neque desunt matres, licet vegetâ prole gaudeant, vel ob corporis debilitatem vel topicum mammarum vitium, aliamve justissimam causam, quibus non contingit adeo esse felices, ut tenellum propriis uberibus admoveant, et quamvis lactis secretio in illis tantâ vigore non procedat, attamen lactis Metastasim patiuntur: sunt præterea aliæ adhuc causæ occasionales, scilicet injuriæ quævis externæ mammis illatæ, inter quas referri non dubitamus rigidi illi thoraces balenacei (*corsets*) quibus mammæ totus corporis ambitus vehementer comprimitur: huc etiam spectant remedia adstringentia extus mammis applicata, quæ summopere ad Lactis Metastasim producendam faciunt. Denique ut in finem imponamus causis, perversa medicina huc etiam in sensum venire debet, vel febrim lacteam non rite moderando, vel et artificialium evacuationum rationem non habendo vel et exhibendo drastica purgantia, vomitoria, diacodiata nec non repercutientia et vesicantia, de quibus Baglivius nobis citat sequens observatum.

« Mulier, inquit octo mensium gravida, juvenis et gracilis integro » octiduo doloribus ventris molesta, demum infantem peperit. Post partum abhuc continuabant dolores, cum insigni ventris tensione; quoniam vero omne genus remediorum spreverat, vel potius neglexerat » demum a quodam medico quatuor vesicantia sibi apponi permisit, » lochia, quæ primum fluebant exinde suppressa sunt; paucis post diebus » denuo apparentibus lochiis, abdomen graviter convelli cœpit cum » insigni dolore, adeo ut ne digiti quidem premi posset, exinde pulsus » et respiratio erant diminuta et fere ad extremum vitæ redacta fuit » patiens, elapsis paucis diebus, in melius aliquantulum procedebat, » derepente tamen supervenientibus gravissimâ spirandi difficultate ex

» genere convulsivarum et interdum in delirium se commitante nec non
» alvi fluxu flavo et fœtido, qui per octo dies continuavit demum de-
» cima septima die morbi obiit patiens (1).

## *De Diagnosi ac Prognosi.*

Ex symptomatibus, quæ in ægrotarum corporibus sese manifestant, Lactis Metastases dignoscere valemus, hæc autem insigniter differunt pro diversa ægrotantium debilitate et irritabilitate, pro majori minorive lactis copiâ aliisve conditionibus, tum et pro varia parte affecta.

Magis vero communia symptomata sunt sequentia: mammarum detumescentia, lochiorum imminutio vel cessatio, lac per totum corpus cum sanguine aberrans, dolores vagi, febres, quæ ultra febrim lacteam perdurant, unde horripilationes, appetitus prostratus, insomnia.

Si ad partem aliquam deponitur lac, dyscrasias contrahit in parte affecta, percipiuntur tensio, dolor fixus, obtusus, gravis, motus et functio illius partis impediuntur, accedit inflammatio, fitque vere tumor lacteus. Ex illis quidem in genere diagnosim petere licet, dantur tamen casus, in quibus omnino difficilis est et incerta diagnosis, præsertim in principio morbi, quoniam tunc sæpe sub schemate aliorum morborum ludit Metastasis, de quibus mox. Attamen si supradicta symptomata in puerperis aut lactantibus observantur, attentum medicum statim Lactis Metastasim suspicare oportet, et ex consideratione causarum nec non invasionis tempore obsequi ipsi licebit.

Videamus itaque secundum nostram divisionem de Metastasi excretoriâ.

---

(1) Vid. Baglivii opera in diss. de abusu vesicant. tom. 2. hist. 3. pag. 350.

Per cutis poros lac ex corpore eliminari, quod acescente quodam odore sese manifestat, quotidie observant practici: per tales utique sudores criseos adinstar, febris lactea solet terminari; plurimi insuper auctores statuunt, per transpirationem Lactis Metastases dissipari et lac imminui: præterea dantur observationes, quibus, lac vario modo per os excretum, demonstratur. Nuckius meminit feminæ, in quâ lac cum dolore in os prosiliebat, mamma protinus detumescente dextra (1).

Puzos sæpius in mulieribus salivationem lacteam notavit: in femina post ablactationem, lac per os excretum vidit, uti jam supra in nostrâ definitione indicavimus.

Per muliebria cum lochiis effluxisse lac maxime frequens est observatio, hujusce dantur exempla post partum quam plurima (2).

Diarrheæ lacteæ in praxi sæpius occurrunt, ut has multis observationibus adstruere conaremur. Neque urinæ vias hisce Metastasibus suscipiendis immunes esse observant practici. — Harum specierum facillime diagnosis apparet, quoniam in hisce excretionibus suis notis satis lac sese distinguit. Proximum jam est, ut de alterâ Metastasium Lactis classe sive depositoria et primo quidem internâ agamus, eamque uno alterove exemplo ex probatissimis auctoribus desumpto stabiliamus. Exordium ergo a capite faciamus.

Quando ad cerebrum vel ejus velamenta defertur humor lacteus, oritur exinde apoplexia lactea sic dicta, quam Levret, Puzos aliique egregie tractarunt, hanc intra primum octiduum accidere, tradet Deleurye (3).

Phrenitis, delirium, mania, a Metastasi Lactea exorta fuisse leguntur in E. G. Baldingero (4).

---

(1) Vid. Nuck. de adenograph. curiosâ et uter. femin. anat. nov. tom. 2. pag. 49.
(2) Vid. Levret, *Art. des accouch.*, *pag.* 147. § 122.
(3) Conf. Deleurye, *trait. des accouch.*, *pag.* 358.
(4) Vid. prolusion. de morb. ex Metast. Lact. in Diario med. jen. vol. 2. pag. 85.

Quando thoracis cavum petit, peripneumoniam, pleuritidem, asthma, in quibus non adsunt sputa cruenta, neque perpetua respirandi difficultas nec dolor adeo ardens et lancinans excitat.

Sequens nobis citat exemplum de tali Lactea Metastasi Cel. Corvisart in puerpera Parisiensi.

» *Une jeune créole de la Martinique*, inquit, *qui accoucha à Paris de son cinquième enfant; elle voulût d'abord le nourrir mais son état ne le lui permit pas suivant l'expression vulgaire elle gouverna mal son lait: elle était au sixième jour de la maladie lorsque je la vis; les symptômes ne répondaient point à la gravité du mal; car elle mourût le même soir avec la face hippocratique et la poitrine présentant un son mat et obscur, à l'ouverture du cadavre on trouve tous les signes d'une pleuro-péripneumonie, sur-tout à droite, et le péricarde dans la portion libre et dans celle adhérente au cœur enflammé, l'exsudation sero-purulente et la couenne analogue sur toute la surface existait aussi.*"

In abdominis cavum effusum lac ascitem, tympanitidem, colicos, intestinorum inflammationem produxisse testantur plurima auctorum observata.

Egregius medicus Chomel in feminâ quadam primiparâ observavit, ita ventrem intumuisse, ut tribus a partu septimanis adeo turgeret, uti ultimo graviditatis termino solet, rupto umbilico ingens liquidi seroso-lactei copia exibat quam maxime fœtens coloremque subgriseum referens, bimestri spatio post ruptum umbilicum prudenter curata et integre sanata est (1).

Peculiarem historiam Metastasis abdominis parachentesi curatam a cel. Bossu observatam legimus (2).

---

(1) Vid. *l'acad. royal. de scienc. l'an* 1728., *pag.* 581. et seqq.
(2) Vid. comm. de reb. in scient. nat. et med. gestis. vol. 20. part. 1. pag. 70.

Celebris Chirurgus VANDERHAAR, historiam descripsit puerperæ paucis post partum diebus mortuæ, in cujus abdominis cavo insignis seri lactis copia erat effusa, pars vero caseosa, nivis adinstar, partes internas obducebat (1).

Exstat exemplum de Metastasi Lactea abdominis cum malignis symptomatibus primis a partu diebus exortis (2).

Aliquando epidemice grassavit Metastasis illa Lactea; sic hieme 1746. talis in puerperis observabatur morbus epidemicus, tertio vel quarto post partum die, mammæ, quæ illo tempore turgere solent, flacescebant et quinto vel septimo die puerperæ moriebantur; solas pauperes invadebat, præcipue si in nosocomio peperissent. Mense Februario adeo periculosus erat hic morbus, ut ex viginti vix una evaderet. In cadaveribus inveniebatur coagulum lactis externæ intestinorum superficiei adhærens et serum lacteum in cavum abdominis effusum, simile serum in quibusdam pectoris in cavo reperiebatur, et dum pulmones secabantur, similem eructabant lympham lacteam sed putridam (3).

Accedamus jam ad alteram Lactis Metastasium ordinem sive depositoriam externam: ad hanc referenda esse putamus, varia cutis exanthemata, tum et tumores, qui extrorsum sese manifestant, partium scilicet sub cute positarum, quarum tela cellulosa, quæ undique interstitia replet, receptaculum effuso lacti præbet.

TULPIUS meminit feminæ, quæ quoties infantem lactabat, exantematibus in mammis vexabatur, quæ non disparebant priusquam infantem ablactaverat (4).

---

(1) Vid. act. Harl. vol. 8. part. 1. pag. 280.

(2) Vid. *Journal de méd., tom.* 24. *mois de Mai, Planchon.*

(3) Vid. *Acad. de scienc.* 1746. In quarta mem. 1. pag. 160. et conf. epist. cel. l'Héritier post dissert. doct. Ermerins, de feb. vulgo dicta puerp. pro sing. spec. non habenda.

(4) Tulpii observ. med. lib. 1 obs. 54 pag. 98.

Similis observatio exstat apud HIPPOCRATEM (1) inter exanthemata lactea cutis, frequentissima sunt miliaria albida, non vero crystallina, ordinario sese manifestant post febrim lacteam quandoque permanent octo vel decem dies, tunc vero colorem induunt furfuraceum, tandem disparent et cutis color restituitur, nonnumquam fit magis albidus quam ante eruptionem (2). Lactei tumores quamcumque corporis partem occupare posse ratio docet et experientia comprobat: sic ad pelvim vicinasque partes, ob earum partium per prægressum partum debilitatem, frequentes insignesque quidem observantur Metastases Lacteæ, quæ frequentissimam earum sedem constituunt a pedibus imo a pedum digitis ad vertebras cervicales usque: de qua nobis exemplum citat celebris ALARD in tractatione hujus affectionis, « *une femme*, inquit: *à Arc-en-Barois était tellement enflée depuis les orteils jusqu'aux vertèbres cervicales, qu'elle ne pouvait faire aucun mouvement, le tissu-cellulaire et les tégumens avaient acquis plus de trois pouces d'épaisseur, la surface était transparente et marbrée, cette affection, qui avait résisté à tous les traitemens, ceda à l'emploi des mouchetures faites à la partie interne des bras et des cuisses dont l'effet fut secondé par des pillules toniques; les mouchetures donnaient issue à une tumeur laiteuse semblable à du petit lait chargé de quelques parties caséeuses*" (3).

Tumores lactei in extremitatibus inferioribus formati hoc habent singulare ut unum tantum in genere latus occupent, sæpeque de uno sublati ad alterum migrantes a superiore ad partem inferiorem descendunt: in illis etiam lac per tensam cutim transparet digitorum impressionem non retinent ad illam dolent: ædematosi contra tumores ab inferioribus

---

(1) Vid. Hipp. lib. II, epid. sect. 2.
(2) *Vid.* Levret, *Art des accouch.*, *pag.* 163 § 895.
(3) *Mém. et obs. de med. prat.*, *par* Cyprien-Bertrand Lagrésie. *Paris* 1805.

versus superiora migrant, raro doloribus sunt stipati, simul binas extremitates occupant et digitorum impressionem retinent. Si lac ad pelvim vicinasque partes deponitur, vehementes dolores in regione illiaca utraque excitat, tumoremque plus minusve eminentem format: hunc tumorem ab hernioso aliove quocumque dignoscamus, ex causis prægressis, lochiorum imminutione, absentia cæterorum symptomatum, quæ alios tumores concommitantur, dolores a Metastasi excitati rheumaticorum formam sæpe induunt; ab illis vero differunt quod rarissime inflammatoriam indolem præ se ferant neque adeo vehementes sint et omni tempore uti rheumatici dolores non existant, sed tantum post partum occurrant. Certe de Lactis Metastasis in– et externæ depositoriæ diagnosi adhuc multa quidem discere possemus, quin imo, non finiremus, si hic citare vellemus omnia ab auctoribus practicis observata: nobis vero, satis illarum diversarum Metastasium existentiam veram probasse videtur, ut ad earum prognosim transire valeamus.

Hancce prognosim, pro variis circumstantiis differre cuique facile patet, quapropter eam pro sequentibus distinguemus.

1.° Pro parte affectâ varia, quo enim nobilius est viscus, quod Metastasi afficitur, eo periculosior est morbus, internæ Metastases plus metuendæ sunt quam externæ, sic depositiones lacteas necessario fieri lethales, si ad aliquod cavum formantur non immerito monet Levret (1) et quidem omnium periculosissima est Metastasis ad caput eamque vix admittere medelam uno ore testantur practici; sæpissime enim lac aberrans ad cerebrum præter cephalalgiam, maniam, variosque capitis morbos, apoplexiam inducere solet, quæ rarissime tollitur et citissime ob nimium vasorum dilatationem et lactis extraversationem ægras miserrime necat;

(1) Vid. Levret, *Art des accouch. pag.*, 161 § 887.

fere idem dicendum est, si Metastasis formatur ad pectus et præter mala jam supra in diagnosi memorata de pulmonum affectionibus a Metastasi excitatis, illarum organorum supurationem inducere quin imo pthysis et gangrena tristissimam sæpe scenam ludunt, quæ imprimis prævideri possunt ex sputis sanguinolentis et facie ruberrima.

Quod si ad abdominis cavum ruit ibidemque in intestinorum gyros effunditur, spasmi, colicæ exoriuntur variæ, viscerum abdominalium conditio inflammatoria, ad quam per graviditatem dispositæ sunt feminæ, augetur, et sic ægras in vitæ periculum conjicit (1).

Si vero ad Uterum defertur lac, metum quidem incutit, attamen efficacia si opponentur remedia curationis spem admittit.

Porro Metastases Lacteas externas in genere melius oriri notamus, attamen ad easdem partes affectas externas remediorum datur aditus, quamvis nonnumquam tristes sequelas ut gangrænam, supurationem malignam, ulcera maligna et alia pessima post se relinquant, rarissime vero in scirrum et cancrum degenerare observantur (2).

2° Pro vario tempore et duratione; sic Metastases, quæ diu post partum accedunt ac suppurantur, plerumque sunt periculosiores, quia sæpissime in marasmum vel in mortem abeunt (3).

3° Pro variis causis prædisponentibus et excitantibus, quæ uti in aliis morbis quo sunt vehementiores eo magis periculum incutunt.

4° Pro symptomatum morbum concommittantium intensitate, sic malam formare prognosim jubent, febris ardens, cutis arida, lingua sicca, appetitus prostratus, cephalalgia, dolor partis affectæ, quæ, quoniam vehementem interiorem indicant æstum, mortis metum inferunt.

---

(1) Vid. *Journal de méd.*, *tom.* 24. *pag.* 415.
(2) Vid. Bicker, *Verhand. van 't zog der vrouwen*, *cap.* 3. *pag.* 149.
(3) Vid. Levret, *Art des accouch.*, *pag.* 179.

Puzos ægras talibus symptomatibus affectas intra viginti quatuor horas obiisse sæpius observavit (1).

5° Pro qualitate materiæ lacteæ depositæ, quæ dum sæpissime acritatem insignem contrahit, pessima symptomata provocat.

6° Pro vario Metastasis exitu, quem si per resolutionem obtinetur, feliciter sæpe sanatur, si vero in suppurationem abit, majus periculum injicit et præsertim in abdomine præsagit, quoniam fistulas sæpissime insanabiles post se relinquit (2).

## *De Prophylaxi et Curâ.*

Quum causæ, uti supra vidimus, adeo multiplices et manifestæ sint et curationis negotium ab illis rite cognitis quam maxime dependeat, quumque inter eas quam plurimæ sint quæ notabiliter in puerperis præsertim concurrunt quasque avertere nostra quam maxime interest: scopus medendi necessario in prophilaxim et curam dividere debemus; consistit vero prophilaxis in avertendas causas tam occasionales, quam prædisponentes: quum inter prædisponentes primum locum occupet summa irritabilitas nec non debilitas puerperarum, per corticem peruvianum et martialia, quæ inter roborantia eminent, irritabilitatem et debilitatem tollemus vel præveniemus illis. Quoad cæteras prædisponentes causas, si possunt illæ averti vel tolli, debent.

De causis occasionalibus avertendis, incipiendum est, imprimis cum aëre, uti supra in disquisitione fecimus. Sit ergo aër, in quo degat puerpera, purus et temperatus. Sint igitur puerperæ quietes et concedatur

---

(1) Vid. Puzos, *Mémoire sur les dépots lait.*, *pag.* 347.

(2) Conf. eumdem Puzos, *Mémoire sur les dépots lait.*, *pag.* 65.

iis somnus reficiens statim post partum, si hujus necessitas adsit. Juscula carnea atque potus vini generosi aquâ diluti inserviat illis nutrimento et potulento.

Amoveantur omnia, quæ ejus animum nimium commovere valeant, sensationes sint gratæ, animi affectiones jucundæ placida mente concedantur.

Quoad alvum, si constipata sit puerpera ipsi præscribamus oportet lene eccoproticum, ut Lactis Metastasis, cæterique morbi puerperam præcaveantur. Ante omnia vero curandum ut sit transpiratio larga.

Lochiorum fluxus promoveatur si non adest.

Ipsa lactatio optima est prophylaxis adversus Metastases Lacteas. Quot en m matres propter negligentiam hujus muneris ad patres migrarunt? Utinam pessimus ille agendi modus non adeo vigeret, tot mortes inopinatas, quæ puerperas urbes incolentes præ rusticis e medio tollunt, certe non observaremus!..... et quamvis hæc omnia non forent, attamen mater omni justitiâ functionem nutricis adimplere tenetur: de qua eloquenter dixit J. J. Rousseau. Audiamus ergo circa illud punctum ipsius propria verba, et sint matribus illis negligentibus, consilium « *La femme*, inquit, *qui nourrit un enfant en est plus mère par nature que celle qui le conçoit et le met au monde; s'il est vrai que l'attachement d'un fils pour ses parens soit fondé sur les soins qu'il en a reçus; quel amour, quel respect, quelle reconnaissance, en un mot, quels sentimens une mère peut-elle espérer de celui qu'elle repousse de son sein, et qu'elle confie à une étrangère? Cet enfant, devenu raisonnable, n'est-il pas en droit de lui dire: vous m'avez délaissé après ma naissance, c'est-à-dire, quand j'étais encore faible et incapable de pourvoir à la conservation de la vie que j'avais reçue dans vos flancs; vous m'avez refusé le lait qui m'était naturellement destiné*

*et le seul aliment qui me convenait, en vous faisant remplacer par une mercenaire qui vous a vendu ma nourriture, vous m'avez mis à la merci de son caprice, de sa cupidité, et de son égoïsme, vous m'avez exposé à sucer le germe des virus ou maladies qui infectaient son corps, peut-être celui des passions qui souillaient ou degradaient son âme, enfin vous avez presque entièrement renoncé à votre qualité de mère à mon égard, ou vous l'avez partagé avec ma nourrice. Souffrez donc que je vous réfuse à mon tour ma tendresse et mon affection, ou que je les partage du moins avec celle dont je ne puis contester que je ne sois en partie le fils. Quelle humiliation pour des mères d'entendre un pareil langage! Cette seule pensée profondement méditée, ne devrait-elle pas suffire pour les rappeler à leur devoir?"*

*Partout à haute voix la nature le dit,*
*La véritable mère est celle qui nourrit.*

Attamen sæpe accidit, ut prophylacticæ hæ regulæ non impediant quominus morbum avertere possimus, sed huc illucve effusum Lac Metastasim excitet ad quam ergo sanandam methodus curativa omnino requiratur, quæ generaliter hic in tres præcipuas indicationes brevitatis causâ dividemus, quarum prima est: ut stagnans ac lac coagulatum resolvatur et attenuetur: secunda ut attenuata materies excernatur: tertia denique ut humorum impetus ab affecta parte minuatur et lactis in mammas ingressus restituatur.

Ad primam indicationem implendam imprimis facit regimen antiphlogisticum, præsertim si tractandum habemus plethoricam et inflammationis adsunt indicia.

Porro, si lac ad partes externas depositum est, depletiones sunt instituendæ generales et locales, remedia diluentia resolventia tam interna quam externa adhibenda imprimis fomenta cataplasmata emolientia.

5

Ad secundam, ut attenuatam jam materiam evacuetur, imprimis faciunt, purgantia leniora, diaphoretica remedia, inter quæ spiritus mindereri præcipuum tenet locum, nec non, huc in censum veniunt illa, quæ diuresim provocant, inter quæ præferemus scilla nec non præparata.

Ad tertiam requiritur indicationem: 1° ut impetus humorum a parte affecta dirigatur huc faciunt remedia revellentia venæ sectiones et balnea.

2° Ut lactis in mammas ingressus restituatur: huc in finem commendantur frictiones, repetita suctio et omnia illa, quæ mammas leviter irritare valent. Vitia mammarum topica pro sua indole curare docent chirurgi. Hæc sunt quæ proponenda habebamus in hâc nostrâ dissertatione, unice ut ritui academico satisfaceremus conscriptâ, ad quam plurima adhuc addi potuissent, quæ hic brevitatis causâ omittimus, itaque ut supplere velis L. B. de novo enixe rogamus.

TANTUM.

# POSITIONES.

I.

Naturæ legi sese opponunt, sibi prolique suæ nocent matres, quæ lactationis negotio fungi valentes, istud formæ conservandæ causâ omittunt.

II.

Omnium scientiarum nobilissima est scientia medica.

III.

Moderatio in omnibus ad longam vitam ducit.

IV.

Summa medicina est, aliquando non uti medicamentis.

V.

Virtus medicamentorum ex effectu solo cognoscitur.

VI.

Apoplexiam prævenire facilius est, quam illam curare.

VII.

Vomitus vomitu curatur.

VIII.

Incipientibus morbis, si quid movendum videatur, move; vigentibus vero quiescere melius est.

Hipp. sect. 2. aphor. 29.

IX.

A multo tempore consueta, etiam si fuerint deteriora, insuetis minus turbare solent, oportet igitur etiam ad insolita mutare.

Hipp. sect. 2. aphor. 50.

*Imprimatur,*
J. L. KESTELOOT.
h. t. F. M. D.



GANDAVI, ex Typographiâ Academicâ, P. F. DE GOESIN-VERHAEGHE.